

ereduntem dissolutione demum tollitur: neque ob caloris viventibus insiti & proprii defectum; (Cum enim in eo vita consistat, eo plane animal destitui non potest, & ad tactum etiam partes apparent nonnihil tepidæ, nec sunt ita frigidæ, ut in mortuis) sed ob influentis caloris inopiam.

*In homine est triplex temperies.*

Atque ita ex his patet, triplex in homine, ratione triplicis subjecti, dari Temperamentum: Unum corporis simpliciter, quod etiam in cadavere aliquandiu reliquum manet, tamdiu scilicet, quamdiu mistum integrum manet: aliud, quod viventibus partibus insitum est, & per calidum innatum à primo ortu inhæret: aliud denique, quod ex partibus principibus, corde præcipue, influit, & toti corpori communicatur. Seu duplex esse Temperamentum; unum corporis, quatenus simpliciter mistum est: aliud viventis: idque rursus duplex esse, unum insitum, aliud influens: aut certe ex his tribus hominis temperamentum constitui.

*Qualis sit hominis temperies.*

Verum porrò, qualis & hominis totius, & qualis singularum partium temperies sit, inquirendum. Sunt quidem plurimi in ea opinione, cum homo ad justiciam optime temperatus edat perfectissimas actiones, necessarium esse, ut tum temperamentum quod ad justiciam coincidat cum perfectissima, & quæ ad pondus quatenus talis sit, temperie. Quod sensisse videtur etiam Ga-

lenus, 1. de temperamentis c. 9. dum inquit: *Insistentes itaque hoc loco æstimemus, quoniam optime temperatus sit homo, quem scilicet totius substantiæ vel potius tum hominum tum reliquorum animalium medium, veluti regulam ac normam stantes, reliquos omnes huic collatos calidos, frigidos, humidos, siccos dicere oportet. Concurret ergo oportet in hoc homine multæ notæ; quippe & cum universa substantia collatus medius apparere in ea debet, & magis etiam cum hominibus & bestiis.* Verum enim verò et si inter reliqua animalia procul dubio est temperatissimus; & si non plane mediam, saltem mediæ maxime viciniam habet temperaturam; adeo ut non solum reliqua animalia ad eum collata dicantur calidiora, frigidiora, humidiora, sicciora; sed & medici ad eum, tanquam rem temperatam facta, comparatione medicamentorum temperiem æstiment, atque alia temperata, alia intemperata dicant; quod Galenus procul dubio allegato loco intellexit: tamen simpliciter & absolute temperatus non est. Indicat enim hoc ipse sensus. Nam in temperamento illo absolute æquali sensus non indicat unam qualitatem plus excellere, quam aliam, nullusque in temperato ad pondus ullius qualitatis sensibilis excessus deprehenditur. At in homine calorem reliquas excedere, & temperamentum hominis tactu calidum deprehendi, tam manifestum est, quam quod manifestissimum. Servari etiam potest

*Homo non est absolute temperatus.*